

Q. F. S.  
DISSERTATIONIS  
DE

**P O E S I,**  
**PHILOSOPHIÆ UBIVIS**  
**GENTIUM PRÆVIA,**  
**PARTICULA PRIOR,**

QUAM,  
CONSENT. AMPL. SEN. PHIL. IN REG. ACAD. ABOËNSI,  
PUBLICE EXAMINANDAM EDUNT

AUCTOR  
**JOHANNES HENRIC.**  
**KELLGREN,**  
PHILOS. MAG.

ET  
**RESPONDENS**  
**FREDERICUS GRÅÅ,**  
BOREA-FENNUS,

IN AUDIT. MAJ. D. XXX. APRIL. ANNI MDCCLXXIV.

H. A. M. S.

---

A B O Æ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

**D. N. MAG. CAROLO JOH.  
BECKMAN,**

PASTORI Ecclesiarum, quæ DEO in Tössala, St. Jacob,  
Inniö & Wartsala colliguntur, meritissimo,

**PARENTI INDULGENTISSIMO.**

**D**e opportuna mihi jam oblata occasione, animum in Te observantissimum publice declarandi, impense mihi gratulor. Si unquam beneficia grati animi postulant sensum, quod semper faciunt, quæ Tu, Parens Indulgentissime, mihi præstitisti, sane vividissimum immortalæque postulant. Peccetralia itaque cordis mei ardentissimo amore reverentiaque exaestuant; verba autem non reperio futis apta, interpretandis animi affectibus, quibus commoveor, quotiescunque curam, laborem, sumtusque salutis meæ promovendæ impensos mente revolveo; quæ eo minus memoria elabentur mea, quod messem sollicitudinis Tuæ paternæ copiosissimam, literis invigilanti, nullo non tempore metere mihi licuit. Concedas, Parens Indulgentissime, rogo, ut opusculum hoc, quod singulari summaque cum reverentia Tibi inscriptum velim, animi perfecte grati imperfecta sit tessera. Ab eo, quod frequens adoras, omnipotenti Numine, omni absque cessatione, supplex petam, dignetur tot Tibi, Parens Indulgentissimorum, quot sincere voveo, concedere non interruptam felicitatem; cum hac omnigenæ prosperitatis adprecatione, summa filiali reverentia permansurus, dum vixero,

**PARENTI INDULGENTISSIMO**

Filius obedientissimus,  
**FREDERICUS GRÄN.**



## PROLUSIO.

**V**iator, præruptis montibus & vastissimis inerrans desertis, ignibus Solis adustus ac magitu rugituque perterritus belluarum, quæ, unicæ circumjacentium solitudinum incolæ, se mutuo dilacerant, atque scopulos sanguine spumisque spurcissimis inuadant, si tantas inter calamitates arte humana cultum fructiferumque forte invenerit viretum, aspectu ejus frontem explicat, & citato gradu illuc se confert, dumque fessâ illius membra in umbra jucundam ceperunt quietem, & amœnis fructibus refecta sunt, magno conatu studioque, sæpe frustra, id agit, ut originem & ætatem ejus detegat & cujus cura in tantum excreverit decus, atque adeo totum avidis oculis perlustrat nemus, ut nomen benefici hominis, qui in commodum viatorum illud instituerit, in cortice arboris alicujus forte animadvertat incisum. En Symbolum animi liberalis, qui, quum per portas Historiæ magnum mundi ingressus Theatrum, nil nisi crimina, neces, perfidias, parricidia, superstitiones & misérias quoquoersum offendit, maximo per-fusus horrore se reprimit & attentionem a foedissimis hisce objectis confestim avocat; si vero passim vestigia detegat ingenii humani, artium & scientiarum, quæ, inter tot tamque vehementes imperiorum concussus, tot regnorum ruinas, tot civitatum cadavera occulte pro-



cesserint, perlatus ista, quam longissime potest, retro persequitur. Haut tamen raro in his perquisitionibus cura ac nisus frustra sunt omnes. Fiunt enim vestigia, quo remotiora, eo minora obscurioraque, adeo ut sapissime, certo eorum initio nequaquam reperto, dubii recedere cogamur. Neque hæc rationi absona. Ecquis enim in animum facile inducere potest, infantulum quendam, ut fuit principio ingenium humanum, satis alta relinquere valuisse vestigia, quæ tam crebris magnisque terræ commotionibus haud delerentur? Nascuntur artes sine strepitu ac tumultu; nulli præcones adventum earum proclamant; tacite oriuntur, tacite quoque augentur,

*Crescit occulto velut arbor ævo, (a)*

usque adeo, quoad illam attigerint eminentiam, ut capita supra turbas ignorantia elata conspectui præbeant; verum inter hæc multa sæpe labuntur secula. Quamvis etiam ortus incrementaque earum ejus ætatis hominibus quam maxime fuerint evidentiæ; quo tamen modo eorum gnarus fiam eventuum, qui nostro procul tempore contigerint, præsertim locorum distantia novam insuper afferente difficultatem? Si veteres consulo Historicos, nihil fere aliud mihi enarrant, quam quod ore memoriæ per ora populi in aures eorum involaverit, vel quod oculati testes cognitione notationeque dignum censuerint: Sed quale hoc & quidnam? Bella cruenta, pugnae pugnatae, arces disjectæ, urbes excisæ, agri devastati, regiones populatae, Tyrannorum nomina, natales, facinora, mors, præterea nihil. Jacet causa in aprico. Quotidiana nimirum demonstrat experientia, eorum modo nos diu ac facile meminisse, quæ fortes in organa nostra faciunt impressiones, qualia sunt, quæ terrorem quendam & admirationem excitare solent. Singula hæc, ut facile visu est, molestis quemcumque ir-  
reti-

retinuit impedimentis, qui in obscuris latebris atque abstrusis antiquitatis recessibus artium scientiarumve incunabula requirere cupit. Neque nobis ex hoc capite difficultates defuerunt, illi veritati fundamentum substruere annisis, Poësin apud omnes, quas paullo accuratius novimus, nationes Philosophiam tempore antecessisse, quas tamen ipsius argumenti delectatione, spe fructuosa, an minus, at certe jucundissima, tui, æquissime Lector, suffragii, insigniter aucta, aut vicinus, aut vincere credidimus.

Cui propositum hujus perquisitionis acceptum referimus, est celeberrimus DENUS DE VOLTAIRE, qui passim in scriptis suis ita disserit: „*Qui croirait, que tous les bons ouvrages en prose n'auraient probablement jamais existé, s'ils n'avaient été précédés par la Poésie? C'est pourtant la destinée de l'esprit humain dans toutes les nations. Les vers furent toujours les premiers enfans du génie & les premiers maîtres de l'éloquence* „ Et mox inde: „*Les peuples sont ce, qu'est chaque homme en particulier. Platon & Cicéron commencèrent par faire des vers. On ne pouvait encor citer un passage noble & sublime de Prose Française, quand on savait par cœur le peu de belles stances que laissa Malherbe, & il y a grande apparence, que sans Pierre Corneille le génie des Prosauteurs ne se serait pas développé* „ (b). Et quidem alio loco: „*la Poésie fut le premier art, qui fut cultivé avec succès. Dante & Pétrarque écrivirent dans un tems, où l'on n'avait pas encore un ouvrage de prose supportable; chose étrange, que presque toutes les nations du monde aient eu des Poètes, avant que d'avoir aucune autre sorte d'Ecrivains* „ (c). Hactenus ille: Qua quidem ansa nobis oblata, rei veritatem ulterius explorandam suscipimus, illud operæ reportantes pretium, ut quod antea



obscurius & quasi per transfennam apparuit, jam maxime nobis diluceat. Si vero, quibus nos persuasi fuimus, sufficientes haberi debeant rationes, an plures requirantur validioresque, ad tuum, benivole Lector, obtinendum consensum, est, quod *priori*, quam nunc tibi sistimus, nostri tractatus *parte* perfecta videbis. In *posteriori* autem, si lubet, nobiscum ipsas considerabis causas, quibus hoc ingenii humani producat phoenomenon.

(a) HORAT. *Lib: I. Ode XII.* (b) *Essais sur l'Hist: Gener: par M. de VOLTAIRE Tom. VII. p. 224.* (c) *Poétique de M. de VOLTAIRE Prém. Part. Liv. II. cap. V. le Triffon,*

## §. I.

## DE ASIA, ibique

## SINA &amp; TARTARIA.

Quemadmodum Sol primores suos radios orientabilibus hemisphaerii nostri partibus adspargere solet; ita quoque lumen eruditionis extremis Asia nationibus primum censetur exortum. Ergo nos quoque initium hinc faciemus. Verumenimvero quod ad *Sinenses* attinet, gens hæc antiquissima, valde multa ante nostram Epocham Secula, Sapientia litterisque inservit; veram autem & genuino sensu appellatam Philosophiam, cum *Can-fu-cu* s. *Confucio*, D circiter annorum ante Christum natum, demum in lucem fuisse editam, nota & agnita est veritas. Poësin autem longo admodum antea intervallo apud illos invaluisse, testatur *V-Kim*, vetustissimus Sinensium liber, quippe qui, præter tractatum *Fo-bii* anigmaticum atque nonnullas antiquissimorum regum leges & statuta, nihil aliud continet, quam Odas & Poëmata, quibus maiorum res gesta, laudes, ritus & ceremoniarum celebrantur (a). De poësi *Tartarorum*, e longi-

quoque dudum temporibus ab iis excolta atque rhythmis prædita, *Celeberr. Voffium* consulas, qui de Sinensium quoque re poetica aliquantulam facit mentionem (b).

(a) Videbis *JAC. BRUCKERI Instit. Hist. Phil. Per. III. Part. II. L. III. c. III. §. 5.* (b) *De poematum cantu & viribus rhythmis, p. 25.*

## §. II.

### DE INDIA & PERSIA:

Sapientes *Indorum*, diversis olim nominibus *Gymnosophitæ*, *Brachmanes*, *Germanes*, *Samanæi*, *Pramnæ* & *Hylobii* appellati, magnæ antiquis temporibus potiti sunt famæ & existimationis; quod verò cum ad originem, tum ad argumentum doctrinæ illorum pertinet, a tam sublextæ fidei scriptoribus (a) narratum, atque tot fabulis, ineptiis contrariisque refertum videtur, ut vix ac ne vix quidem sanorum lectorum mereri possit fidem. Hoc tamen facile inde elicitur, sapientiam illorum potius corporis disciplinam atque ceremonias fuisse religiosas, quam verum quoddam Philosophiæ studium. Quid mirum? Certe terram tot desolatam factionibus, tam crebris concussam bellis, toties exterorum imperiis, *Sezac*, *Madies*, *Assyriorum*, *Perfarum*, *Alexandri Magni*, *Arabum*, *Tartarorum*, *Schach-Nadir* denique subiectam, aptum Philosophiæ & Scientiis præbuisse domicilium, haud facile percipitur. Saltem hoc difficile est, ipsum id indicare tempus, quo illuc immigraverint. *Vedam*, Sacer illorum codex, jam ante *Alex. Magn.* *Indiam* debellantem conscriptus esse videtur, at nihil præter dogmata fidei præceptaque cultus complectitur. Equidem maxime dubito, cui nunc temporis Christiano *Biblia* tantum novile contingeret, a multis nomine salutatum fo-



re Philosophi. Qui *Buddam* auctorem Philosophiæ Indicæ existimant, de tempore ætatis ejus in maxima versantur dubitatione. Fabulæ *Pilpay*, quæ tempore *Alexandri M.* compositæ perhibentur, moralis quidem Philosophiæ in India testantur progressus; poësin autem jam ante illis innotuisse, ex verbis *Curtii* colligi debet, quibus commemorat, apud Indos, qua *Alex. M.* ab illis victorias reportavit, tempestate, moris fuisse pellicum, ut Regem mero somnoque sopitum in cubiculum referrent, patrio, h. e. a majoribus accepto, carmine nocturnum invocantes Deos (b). Sed jam in *Persas* nos convertamus. Fuerunt igitur illis famosissimi Magi, qui Philosophiam vel potius Theosophiam coluerunt, quam *Zardusht*, latine *Zoroastrem*, primum instituisse, universa consentit vetustas. Verum magnum quoque eundem fuisse poëtam, res æque pernota est. Asserit *Plinius*, vicies centena millia versuum a *Zoroastre* condita, quos indicibus explanavit *Hermippus*, qui de Deorum sacris, cultu & ritibus egerunt (c). At si quis 200000 versus conscripserit, certe hic pro primo nationis suæ poëta nulla habetur ratio: ideoque in *Persia* quoque Poësin Philosophiæ præcessisse, ita liquet, ut quod maxime.

---

(a) Sunt horum præcipui *Strabo, Arrianus, Palladius, Ambrosius, Philostratus & Rogerius.* (b) Lib. VIII. c. 9. per. 30. (c) Lib. 30. c. 1.

### §. III.

#### DE ARABIA.

*Arabes* forte unica gens Asiæ, quæ veræ, contemplativæ & Theoreticæ illi incubuit doctrinæ, cui soli nomen jure competit Philosophiæ. Saltem nulla ibidem alia tot operam navavit scientiis, in tantum eas provexit fastigium atque magis mundo opera profuit sua, quam



quam Saracenorum natio. In Physicis nempe, Metaphysicis, Logicis, Medicis, Chemicis, Astronomicis & Moralibus tantum accendit lumen, ut non nisi nostræ eruditionis Sole obscurari potuerit. Sed neque hoc lumen perfectam prius obtinuit claritatem, quam Caliphæ *Al-Mamonis*, magni Principis magnique Philosophi, tempore, IX videlicet Seculo viventis. Poësin autem multis ante tempestatibus magnam attingisse perfectionem, confirmat Historia. *Aaron Raschid*, Al-Mamonis pater, versus conscripserat. Vixit ejus ætate, circa finem Seculi VIII, doctissimus ille Arabs *Al-Cbalin Eba Achmed Al-Farabidi*, qui poësin artis & regularum primus subjecit imperio. D. nus *Voltaire* versus nonnullos elegantissimos Poëtæ cujusdam Arabis, illo ipso tempore degentis, Gallice tralatos, operi suo inseruit (a). Immo, Muhammedis & anteriore jam tempore, maximo Arabes Poësin amplexi sunt studio & honore. Neque opus sunt, neque dici possunt graviora hujus rei argumenta, quam mores, qui fuerunt illis, antiqui, templis optima poëmata affigere, atque, cui præcellens quidam obtigerit Poëta, ad illam tribum ceteras omnes gratulatum mittere. *Mubammedes* ipse maximam suo tempore adeptus est Poëtæ gloriam. Unumquodque caput totius *Alcorani*, ut quidam observarunt, versibus finitum est. Immo, teste *Celeb. Job. Clerico*, universus fere liber ille versibus constat rhythmicis. En ipsa illius verba, quæ nobis fidem facient! „*Tout ce livre (l' Alcoran), inquit, est presque composé de rimes, quoique les périodes soient fort inégales, & il parut dès lors si bien écrit, que Mahomet lui-même se vante en plusieurs endroits, que ni les anges, ni les Démons ne sauroient égaler l' elegance de son style.*” Attende ad sequentia verba: „*on peut conclure delà, que ce style étoit établi depuis long-tems parmi les Arabes, autrement cet imposteur ne l' auroit pas choisi,*

ou il ne leur auroit pas plu, comme il a fait, (b). Fuerunt quoque Muhammedi æquævi duo inprimis Poetæ, *Abid Meccensis*, cui unus Muhammedes palmam præripere valuit, & *Ali*, cujus adhuc ab Arabibus leguntur poemata.

(a) *Essais sur l'Hist. Gèner. Tom. I. c. 3.* (b) *Biblioth. Univ. & Histor. de l'année 1688. Tom. IX. p. 232.*

#### §. IV.

### DE PALÆSTINA.

Fuerunt multi, qui, cæco potius religionis ac novitatis œstro abrepti, quam veritatis genuino studio & amore inducti, totis viribus in id incubuerint, ut Philosophiam in populo Dei delecto, non tantum longe ante rempublicam in Palæstina fundatam floruisse, verum etjam Patriarchas, tam ante, quam post diluuium degentes, immo ipsum Adamum, mirificos in Philosophia fecisse progressus, demonstrarent. Has vero ineptias derisum, quam refutationem nostram, potiori jure mereri, lectoribus intelligentibus oppido patet. Forte quoque non sine ratione contendere posset, Hebræos nullo tempore veræ & genuinæ Philosophiæ studuisse. Variæ enim, quæ in diversas Sectas, Samaritanos, Saducæos, Karæos, Pharisæos, Essenos, eos diviserunt opiniones, omnes fere fuerunt Theologicæ, neque ei, quo nititur Philosophia, superstructæ fundamento cognitionis, rationi nimirum, sed revelationi, traditioni, decisionique majorum. Si vero vocem Philosophiæ ad quemcunque ingenii & sapientiæ cultum inepte traducere velimus, fortasse tum mysticæ illi & metaphysicæ eorum Theologiæ, quam eminentiori sensu Cabbalam vocant, nomen tam honorificum prætexere licebit. Nec defuerunt, qui ipsum quoque Adamum in Paradiso illam a Deo accepisse, atque Abrahamum literis conceptam in libro *Jesirab* posteritati tradidisse, contenderunt. Ast multi nu-  
gas



gas hæc, ut par fuit, exploferunt atque plane demon-  
 ftrarunt, Philofophiam Cabbalifticam eo demum tempore,  
 quo Alexand. Jannaëus dominium imperio tenuit, cen-  
 tum ante Chriflum annos, a Simeone Schetachide ex  
 Aegypto in Judæam importatam fuiffe, ubi diu tamen  
 a Regibus vetita clam tantum a paucis culta fuit. Quam  
 longe autem antehac Poëfeos ftudio vacarunt Ifrælitæ?  
 Si D: no *Juvenali de Carlenas* fides habenda, *Enos*  
 jam primus Hebraicus fuit Poëta. Verba, quibus illud  
 contendit, hæc funt: „*Enos, fils de Seth, petit-fils d' A-*  
*dam, commença d' invoquer le nom du Seigneur, dit l' E-*  
*criture, c' est à dire par des cantiques, car Adam l' avoit in-*  
*voqué par un culte interieur & Abel par des Holocauftes* „  
 (a). En bellam argumentandi rationem! At major no-  
 bis copia eft veritatis, quam ut commenta illi adnectere  
 opus fit. Elegantiffima illa Ode *ευχαριστιη* (b), quam  
*Mofes* cum populo fuo, poft transitum maris rubri, con-  
 cinuit, magnam jam tum Poëfeos testatur perfectionem  
 (c). Sequentibus autem temporibus magis & magis ex-  
 colebatur, nec parva pars Sacri codicis Hebræorum poë-  
 tica communi cenfetur opinione. Carmina dico in li-  
 bris foluta oratione fcriptis paffim difperfa, Pfalmos Da-  
 vidis, Salomonis proverbialia, Canticum canticorum, car-  
 men lamentabile Jobi atque Threnos Jeremiæ. Neque  
 poffumus non de libro illo vetufto, *רשׁ*, commemorare,  
 cujus jam olim deperditi duo tantum fragmenta, in S: a  
 S: a confervata (d), poëtica confectum fuiffe indicant.  
 Quid? quod ipfi Canaanis aborigines, ab Ifrælitis de-  
 mum expulfi, longe jam antea delicias cognoverunt Poë-  
 feos, quod ex carmine illo Amozæorum, a Mofe me-  
 moriæ tradito, conficitur (e).

(a) *Essais sur l' Hist. & les Belles-lettres, les Scien-*  
*ces & les arts, Tom. I. p. 74.* (b) *Exod. XV. v. I. - 18.*



(c) Vide ROB. LOWTH *praefation. De Sac. Poësi Hebraeorum* p. 34, ubi *Celeb. D:nus Prof. JOH. DAV. MICHAELIS*, nota (3), de his rebus ita judicat: „*Diu ante ipsum (Mosen) Poësis fuit rustica primum & inculta, deinde sensim adolefcens & ornatior. Nec verifimile est primum Poëma Hebraicum perfectum fuisse, licet Mosis tempore, quam auream dixeris linguae Hebraicae aetatem, excellentia carmina divino impetu fusa sint* „ (d) 2 *Samuel. I. 17. - 27. & Jos. X. 13.* Cfr. LOWTH *Lib. cit. pag. 470. seqq.* (e) *Num. XXI. 27. - 30.*

§. V.

DE EUROPA, ubi primum  
DE GRÆCIA.

Videtur natura Asiaticas gentes inveniendi, Europæas autem Scientias artesque excolendi atque in altum perducendi, donasse facultate. *Græci* primum hujus assertionis prodiderunt argumentum. Contenditur quidem ex Asia illos cognitionem suam reportasse; neque hoc negari potest, primos Græcorum Sapientes in Phœniciam, Chaldæam, Indiam, Aegyptum proficisci consuevisse, ut ibidem, quicquid visu ac memoria dignum occurreret, conspicerent discerentque. Verum mera potius Scientiarum nomina, vel, si mavis, rudem & informem, ex qua dein Philosophiam fabricarunt, materiem, quam florentes & perfectas reduxisse Scientias, æque nobis est evidens. Scilicet perito assimilari possunt Botanico, qui opera & labore ex omni regione conquirat, ad unum locum colligit, in idonea terra ferit, colit atque florentes fructuosasque eas reddit arbores & herbas, quæ passim antea dispersæ, verum sibi ipsis relictae, hominumque cura destitutæ, tum Solis & aeris vehementia, tum herbarum venenosarum vicinitate, languidae fuerunt & inu-

inutiles. Græcorum, inquam, illa est natio, quæ pro  
 veræ Philosophiæ prima nutrice, nisi matre, habenda  
 est. Ante vero, quam hanc suam alumnam accurare cœ-  
 pit, longe dudum Poësin genuinam procreaverat filiam,  
 quæ cura ejus & amore egregiam jam formam multum-  
 que roboris acceperat. Nisi enim totius antiquitatis reji-  
 cere velimus testimonium, Græcia jam ante *Homerum*  
 & *Hesiodum*, pro æqualibus a plurimis habitos, serie  
 XXXII. gaudebat Poëtarum (a). *Linus* & qui Theogoni-  
 am Cosmogoniamque descripserunt ceteri, ligata omnes  
 usi sunt oratione. Concedamus licet, quantumvis pro-  
 lixè, plurima, quæ de illis narrantur, fabulis scatere; exi-  
 stentiam eorum ex hoc capite plane negare, id vero fo-  
 ret nimis pro auctoritate pronunciare. Unanimis quo-  
 que antiquitatis consensus, quo omnes Scriptores ante-  
 Homericos in Poëtis habuerunt, hoc saltem demonstrat,  
 veteres ipsos Poësi maximam tribuisse ætatem. Nec vi-  
 deo, qua ratione unquam verosimile evadere possit,  
*Homerum*, tantum Poëtam, quem nemo, per tot seculo-  
 rum spatia in nostrum usque tempus, a se superatum,  
 nedum æquiparatum, aliis fidem fecit; *Homerum*, totius  
 posteritatis Magistrum, nullum habuisse Magistrum, nul-  
 lum, qui de suo lumine lumen illi accenderit, ut verbis ut-  
 ar *Ennii*; sed maximum ingenium, quod esset miraculi  
 instar, sine ullis adminiculis, & novam artem formasse,  
 & e vestigio ad summum evexisse perfectionis fastigium  
 (b). Certe hoc, me quidem judicante, multo difficilius  
 est creditu, quam, quod multi volunt, inter alios Pron-  
 cidem, Creophilum & Corinnum *Homero* fuisse præce-  
 ptores, quorum postremus Dardani bellum contra Pa-  
 phlagonas, Iliada quoque scripserit, unde *Homerum* argu-  
 menta cepisse atque libris suis inseruisse, perhibent. *Tba-  
 les*, sine dubio primus, qui aliquantula Philosophiæ co-  
 gnitione agrestem tinxit Græciam, natus est I. anno O-



Iymp. XXX, five Mundi creati MMMCCCLXIV, atque  
 ideo CCXLIV annos post Homerum, qui Aeræ ejusdem  
 an. MMMCXX, secundum rationes *Celeb Rollini*, vitam  
 ingressus est. Initio Græcia Philosophiæ consuetudinis  
 iniveta, novam hanc, quam Thales illi adduxerat, ho-  
 spitem magis admirata, quam amplexa fuisse videtur.  
 Fuerunt enim Thaleti duo tantum discipuli, Anaximan-  
 der & Anaximenes, cum contra Poësis generali excepta  
 fuit cultu. Celebres illi Græciæ Sapientes universi Poë-  
 tarum magis, quam Philosophorum nomen absque du-  
 bio meruerunt. *Thales* diversos tractatus versibus scri-  
 psit; e. c. de Meteoris; de Aequinoxiis, &c. (c). *Solon*,  
 qui novas leges Atheniensibus sancivit, loco earum, quas  
 Draco, Poëta, illis præscripserat, multa, immo legum  
 suarum partem, ligata condidit oratione (d). *Chilo* Ele-  
 giam scripsit ad versus fere CC. *Pittacus* Elegos ad DC  
 versus. *Bias* de Jonia MM. *Cleobulus* carmina & gry-  
 phos MMM versuum. *Anacharsis* de legibus Scytharum  
 Græcorumque DCC. *Epimenides* de variis ad undecim  
 mille & quingentos versus. Immo *Pherecydes*, qui post  
 omnes hosce venit, primum prosa oratione scripsisse,  
 contenditur (e). Ex quibus omnibus, ut quod luculen-  
 tissime, apparet, Poësin in Græcia jam grandævam fuis-  
 se, quum in cunis adhuc vagiret Philosophia. Neque  
 enim nos cura coquit objectionis eorum, qui dictum di-  
 cendo cum multis veterum nugantur, ipsum *Homerum*  
 maximum fuisse Philosophum, atque libros ejus per-  
 fectissimam & absolutissimam omnium Scientiarum  
 continere tractationem, e quo fonte inexhausto universi  
 Grajorum, immo tantum non totius orbis eruditi, Po-  
 litici, Grammatici, Historici, Rhetorici, Physici, Medi-  
 ci, Theologi cognitionis suæ arva rigarint. Hos vero  
 inepta pietate potius ac superstitione, quam ingenio  
 ductos, non distinctas habere rerum ideas, nec ingenium il-



lis esse aptum, ad conceptus de rebus formandos, nobis cum Celeb. Morrhosio videtur (f). Derisit eos, ut merentur, laudatissimus Malebranchius; refutavit, ut non merentur, doctissimus Bruckerus. Hæc verba illius sunt: „ On estime d' avantage les opinions les plus vieilles, parcequ' elles sont les plus éloignées de nous: Et sans doute, si Nembrot avoit écrit l' Histoire de son regne, toute la Politique la plus fine & même toutes les autres Sciences y seroient contenues, de même, que quelques uns trouvent qu' Homere & Virgile avoient une connoissance parfaite de la nature (g). Bruckerus vero hoc modo ratiocinatur „: Itaque quamvis divinum Homero ingenium & carminis Epici majestas non deneganda sit, absurdum tamen est sequiorum temporum lumina illi tribuere, nec probabile, in vitæ genere ambulatorio & circumforaneo, quale sequutus est ob faciendum quæstum, Homerum Philosophiæ mysteriis invigilare & meditationi otium tribuere potuisse. Produunt quoque malam causam Pbitosophiæ Homericæ advocati, quod allegoriæ beneficio sua illi lumina inferant, non vero eruant; quo pacto everti & in quoscunque velis sensus trahi obtorto collo omnia posse, certum est. Unde mirum non est, omnes in Homeri carminibus Sectas, etsi contrarias, sua dogmata invenisse „ (h). Qui autem, neque his convictus rationibus, posthac quoque Scientiâs ex Senis Mæonii Scriptis addicere sperat, is tam sanum propositum libere sequatur, neque nos excellentissimis ejus in Philosophiæ cognitione invidemus progressibus.

(a) Forte illos heic enumeratos videre, haut te pigebit. Fuerunt igitur, qui sequuntur: *Phemenoë* mulier, quæ prima inter Græcos oracula & versu quidem hexametro cecinit, atque XX annos ante Linum vixit; *Linus*; *Pierus*; *Palæphatus*; *Asbolus*; *Eveclus*; *Isatides*; *Drymon*; *Horus Samius*; *Protenides*; *Philaumon*; *Tba-*

*myris; Thymitus; Melampus; Amphion; Orpheus; Musæus; Eumolpus; Demodocus; Phemius; Pamphus; Epimenides Cretensis; Aristæus Præconesus; Olympus Mysius; Anthes Anthedonius; Thaletas; Syagrus; Corinnus; Palamedes; Pittheus; Pronopides & Creophilus.* Vid. LIL. GRÆG. GYRALDI *de Poët. Hist. Dial. II.* ubi de factis singulorum ac testimoniis, qui de illis scripserunt, auctorum copiose disserit. (b) *En obsidem hujus sententiæ vix inficiandum CICERONEM!* Ita vero ille in *Bruto: nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum Poëtæ, quod ex iis carminibus intelligi potest, quæ apud illum & in Phæacum & in procorum epulis canuntur.* (c) Vide *Dictiomm. Hist. & Crit. de MORERI*, lit. T. (d) V. PLUTARCH. *in vita Solonis.* (e) STANLEYI *Hist. Philosoph. P. I.* (f) *Polyb-Philos. L. II. P. II. C. III. §. I.* (g) *Recherche de la verité T. I. L. II. §. 2.* (h) *Instit. Hist. Phil. Per. I. Part. Post. L. I. c. I.*

§. VI.  
DE ITALIA.

Ut fuit fatum gentis Romanæ, diversa semper sustinere bella, ita & contra Scientias artesque diu ac fortitor repugnavit, quæ tamen imperio suo illam tandem subjecerunt. Atque hic quidem unicus hostis, cui devictos sese prisca dederunt *Romani*. Quis crediderit autem populum, sexcentos annos ita armis addictum, ut omnia exceptis prædis & victoriis flocci faceret; populum, qui Philosophiæ studium utpote virtuti nocentissimum, canepejus & angue vitabat; qui Poëtâs in tanto habuit contentu, ut inhonesto nomine *grassatores* appellaret; hunc inquam populum mox *Cicerones & Virgilios* producturum, quis crediderit? Notum est, Athenienses, sub fine VI, vel initio VII ab U. C. Seculi, Romam tres Legatos misisse, ut remissionem multa, ob Oropi direptionem il-

lis



lis impositæ, impetrarent. Fuerunt vero hi ipsi Carneades, Diogenes & Critolaus, quorum singuli magni Philosophi ope eloquentiæ Philosophiam hominibus gratam & acceptam reddere intelligebant. Ergo publicis, quas Romæ habuerunt, orationibus adeo capta fuit Romana juventus, ut, domesticis exercitiis posthabitis, ad illos audiendos convolaret. Dehinc amor Philosophiæ magis magisque accrevit, ipso tamen studio ejus & usu eousque ignotis, donec victa fuit Græcia atque donec tot tam fortium virorum, Pauli Aemilii, Scip. Africani, Lælli, Furii, Syllæ, & imprimis Luculli comprobatum fuit exemplis, Philosophiam æque Heroi prodesse, ac privato, neque, quod metu M. Porc. Cato, animos emollire & frangere, verum erigere potius & corroborare. Ab hoc igitur tempore, h. e. dimidio circiter Christo præcedentis Seculi, seu vergente VII. post. U. C. origo repetenda est Philosophiæ Romanorum, dum contra Poësis eorum ipsi reipubl. æqualis censenda est. Testatur hoc *Dionysius* in Historiis, cum „*Romulum a Ceninensibus & Antematibus victoriam reportantem sequentes populos poematibus extemporalibus ad caelum extulisse, atque patriis carminibus Deos laudavisse*, commemorat (a). Legimus quoque de *Numa Pompilio*, Regem hunc Romanorum religiosissimum versibus, a se de Diis Deorumque cultu compositis, iisque in sacris publicis ac ludis cum tripudiis solemnique saltatu ad tibiam cantatis, ferocissimam gentem ad mores humaniores Deorumque cultum transulisse. Fuerunt hujus ætatis & generis diversi illi, quorum interdum ab auctoribus fit mentio, versus Janales; Saliarum, Minervii, Junonii, axamenta, ceteri, qui omnes in Deorum sacris, indigitamentis eorum comprehensi, publice canebantur. Huc vero præcipue adnumerari debent carmina illa Martiana, sive oracula a *fratribus Martiis* conscripta, quorum *Livius, Cicero, C. Plinius*



(b), multos præter alios, fecerunt mentionem. Romani hæc magni æstimabant adeo, ut cum libris Sibyllinis in templo Apollinis ista conservarent. Hujus quoque generis carmina pepigit priscus quidam *Publius*, religiose a Romanis diu observata. Versus Felcennini, qui aliquandam speciem habuerunt Dramatis, DC fere annos apud Romanos in usu fuerunt. *Livius* vero *Andronicus* primus formam & dignitatem theatro dedit Latino. Hic cum *A. Claudio* cæco ante *Ennium* vixit (c). Verum enim vero, quem ad modum Oceanus, ita & scientiæ artesque humanæ fluxu gaudent & refluxu. Postquam igitur, continua accretione, Augusto imperante, ad summum pervenerant, per sequens tempus sensim decreverunt atque Sec. VI:o plane disparuerunt. Etenim crebræ, quæ hoc tempore ab orbis Arctoi belluis factæ sunt, incursiones; religionis, vel potius superstitionis Christianæ propagatio, nec non Hierarchia Pontificalis, cujus thronus, nisi supra ruinas intellectus humani, erigi non potuit, Italiæ, una cum Europæ nostræ parte occidentali, atram & diuturnam obduxerunt ignorantie noctem, quam nulla, nisi multis post Seculis, insequuta est eruditionis aurora. Verum hodie, dum litteræ priscum in Italia recuperarunt imperium, perspiciamus, an natura, in dominio earum renovando, eandem incesserit viam, eundemque observaverit ordinem, ac olim, quum antiquum illis subjecit Latium. Revocemus igitur, ut facile est, in memoriam, ad finem fere Seculi XIII. factum esse, ut Itali, ex longo stupiditatis lethargo excitati, se homines esse aliquantulum recordari ceperint. Primum vero, quod tum amplexi sunt, studium, denuo fuit Poësis. *Fredericus* II, Imperator Romanus, initio jam dicti Seculi, lingua, ex qua Italica mox formata est, Romanica versus quosdam conscripsit, quorum hoc est initium:

*Plus me e Cavalier Frances*

*E la Donna Catalana &c. (d).*

Venerunt inde *Dantes & Petrarca*, quorum ille natus anno 1260, hic 1304, Italicam linguam, quibus hodie gaudet, puritate, gravitate & robore donarunt, atque ad insignem Poësin extulerunt dignitatem, quam tamen fideles hujus cultores, *Boccacius, Pulcius, Boyardus, Aristus, Tassius*, ceteri, omnes Petrarchæ ac sibi invicem per irruptam seriem succedentes, auxerunt, ornarunt, confirmarunt. Verum enimvero eo demum tempore, quo Constantinopolis a Turcis fuit expugnata, h. e. circa medium Seculi XV. factum est, ut lux Philosophiæ denuo in Italia oriri cœperit. Tunc enim scripta veterum Philosophorum a Græcis fugitivis huc apportata, tralata atque ope artis Typographicæ, tunc nuper inventæ, divulgata sunt. Tunc vetusta investigabantur, recondita detegebantur, detecta examinabantur, examinata impugnabantur, defendebantur atque lima poliebantur. Tunc ingenia *Joh. Pici, Laur. Vallæ*, aliorum, tantas ejicere cœperunt flammæ, ut tenebras barbariei paullatim dissiparent, quamvis multo tamen post tempore fumo Scholastico valde sint obscuratæ.

---

(a) In *Dial. IV. L. G. GYRALDI, De Poët. Hist.* (b) *Hist. Nat. Lib. VII.* (c) Floruerunt autem ante Philosophiæ apud Romanos imperium *Ennius, Sævius, Hostilius, Nummius, Manlius, Levinus Macer, Val. Soranus, Albinus, Lucilius, Lælius, duo Furii, Callidius, Cæcilius, Val. Cato, Nævius, Novius, Plautus, Cæcil. Staius, duo Terentii, duo Labeones, Pompil. Luscius, Pacuvius, Afranius, Accius, Dorfenus* & magno numero alii, quos brevitatis ergo missos facio. (d) *Hist. Génér. Tom. II. Cap. LXXVIII.*



## §. VII.

## DE GALLIA.

Fuit fere idem hoc tempus, quo Philosophia, hæc ceitatum quidditatumque veste quam maxime licet deformis, animos Gallorum sibi devincire cœpit. Longe autem antea Soror ejus major natu, Pœsis, vehementissime ab iis amata fuit & culta. Scilicet XI:o jam factum est Seculo, ut Pœtæ Gallicani, e gremio ipsius ignorantia nati, verum sequente Seculo magis celebres, *Troubadours* Conteoursque appellati sint. Scripserunt Romanice, lingua illa hybrida ex Romana Gothicaque conglutinata, quam tunc universi loquebantur. Versus eorum omnes ad cantum erant compositi. Pervagabantur provincias atque in aulis Principum maxime versabantur, ubi comites suos, *Chanterres*, *Jongleurs* & *Meneestres* appellatos, versus a se compositos voce fidibusque canere fecerunt; hinc tantas sæpe opes Principum liberalitate reportarunt, ut ipsi arces construere atque aulas habere potuerunt (a). Hoc quidem nostris moribus ita est alienum, ut non possit non, Lector, tibi mirum videri; quanto autem vehementius admirationem & appetitum tuum incitavero, narrando, tantum Matronarum omnium in illos fuisse studium, nihil ut non favoris apud eos collocarent. Scilicet tunc

*Concinuit felix Helicon fluxitque Aganippe  
Largior.*

Neque enim tum ipsi Principes atque Optimates versus componere indignum habuerunt, cum contra impræsentiarum mirificas gratias illos legendo se demereri opinentur. Fuerunt igitur, inter alios hujus tempestatis illustres in Gallia Pœtas, Comites Marchiæ, Andegavi, Provinciæ, Duces Britannia minoris & Brabantia, item Rex Navarra, cujus cantica in Gallia sunt pervulgatissima. O tempora, o mores, quum nobilitas litteras &

Spon-

sponte addiscebat, & absque rubore profitebatur; quam splendida vestis & sonori tituli minus valebant ad studia mulierum sibi devincienda, quam qualiscunque ingenii cultura! Lector Poëta, si fati decreto eo tempore tibi trabenda esset vita, quo vere de Poësi, quod quidam de virtute pronunciauit, dicere posses: *laudatur Et alget*; si eo loco, ubi Musæ, Dei Filiæ, in pedisequas & ancillulas fortunæ, quæ laciniam post illam portarent, mutatae essent; ubi ars Poëtica pulcrum esset dignitatum additamentum, nullum vero ad illas acquirendas adminiculum; ubi, si male, male, sin bene caneres, pessime, hoc est, invidiam mereri existimare; ubi utroque in casu vulgi absurdo subjectus esses iudicio, quod tribunal censorium impune complere auderet: dic, Sodes, quid faceres? Nonne mox artem rejicere deberes,

*unde laboris*

*Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus?*

Nonne habere tibi videreris, cur exclamares: O natura, mater crudelis! quare me aliquot abhinc secula retro, sub alio cœlo, in lucem non emisisti? Essem felix quidam Conteour, honoratus Troubadour, possiderem arces, in deliciis essem fœminis nobilibus; at nunc, Dii boni, quis sum? Quis ero? --- Lector Poëta, resume animum; fabulam tibi narrabam. Sed tempus est, ut in viam revertamur. Provincia Piccardiaque præcipua fortunatorum horum Poëtarum fuerunt domicilia. Dantes & Petrarcha Magistros suos eisdem profitentur. E Francia enim in Italiam Poësis transmigravit. Nomina eorum jam disparuerunt, disparuerunt scripta, simul cum lingua, quæ erant composita. Neque tamen Poëseos amatores universorum illorum adhuc sunt oblitæ. Reminiscimur *Anselmi Faiditi, Arnoldi Danielis*, aliorum. Quamvis autem Troubadours Poësi Gallicæ, qualis nunc floret, originem dederint; at tamen cognita fact & culta supra mille



jam antea annos, a majoribus eorum, Gallis antiquissimis & Celtis, nulla unquam Philosophiæ scientia imbutis. Fuerunt quidem illis Sapientiæ antistites Druides, quorum unicum fuit munus religionem curare, sacrificia instituire atque lites omnes privatas publicasve dirimere; neque tamen eam ob causam Philosophi, verum Judices potius ac Sacerdotes appellandi. Ast ipso fere ab initio nationis Poetas habuerunt, *Bardos*. Hi magnam a priscis consequuti sunt sermonis celebritatem, atque nomen accepisse dicuntur a *Bardo Ico*, quinto Rege Gallorum, qui ipse Poeta Poetas maxime protexit. *Ammianus Marcellinus* inter alios, quos brevitatis causa taceam, quamplurimos, ita de iis pronunciat. „ *Post hoc, hominibus paulatim excultis, ingruere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, Batties & Druides; & Bardi quidem fortia illustrium virorum facta, Heroicis compositis versibus, cum dulcibus lyrae modulis cantitarunt* „ (b).

(a) Cfr. *Oeuvres de M. FONTENELLE Tom. III.* (b) *Hist. L. XV.*

### §. VIII.

## DE BRITANNIA.

Quæ de vetustissimis Gallorum Poëtis jamjam edisferta sunt, ea pariter ad Britanniam referri debent. Galli enim & *Britanni*, quamvis nomine locoque distinctæ nationes, eandem tamen a Celtis duxerunt originem, atque eosdem fere invicem obtinuerunt mores, eosdem Judices Druides, eosdem Poetas *Bardos*. Quemadmodum igitur veteres Galli nulla Philosophiæ imbuti fuerunt cognitione; ita nec Britanni studio ejus magis vacarunt, quippe qui, quum a Jul. Cæsare Romanis subiciebantur, atque multum post vitam vixerunt ab animali parum distantem, neque cogitationes, neque deside-

ria sua citra sphaeram vitae necessariorum extendentes. Poësis vero, ars illa ab humana natura vix separabilis, quæ foedissimum quemque detergit barbariei squalorem, cujus jucunditas ferocissimos quosvis animos captat atque demulcet, immo, quæ, quo minus a fonte suo natura recedat, eo clariore liquidioreque profluere videtur unda; Poësis, inquam, ambabus hisce nationibus Gallis & Britannis æque, hoc est maxime, fuit grata atque accepta. Scilicet quum Anglia & simul Hibernia Scotiaque a Celtis quondam fuerunt habitata, in valde multas divisæ sunt tribus, quarum neutra Regulo non paruit suo. Singuli autem horum Principum in aulis suis Bardos nonnullos sustentarunt atque honoribus donisque accumularunt, qui pro re nata & officio memorabiles quorumvis, inprimis vero bellicas, res gestas carminibus celebrarent atque posterorum memoriæ mandarent. Pretiosissimæ jam nobis supersunt horum Poëmatum reliquiæ, ab *Ossiano*, *Fingalis* filio, compositæ, sola traditione per ora, cum Musica conjuncta, in nostra usque tempora perpetuata, atque in Hibernia a docto quodam & celebri viro, nomine *Macpherson*, conquisitione collectæ, nec non a lingua Ersica, ejusdem opera Anglice, Gallice vero *Suardi* redditæ studio (a). Leguntur autem hæcce maxima cum voluptate Poëmata, nec ulla, nisi sola brevitatis, ratione Homericis Scriptis inferiora, si quid in me est judicii, censenda sunt.

(a) Vid. *Varietés Littéraires Tom. I. p. 267.*

§. IX.

DE GERMANIA.

Accidit circa finem XV. atque initium XVI. Seculorum, ut Philosophia quoque *Germanos* inter societatem consequuta sit. Fere omnes enim ejus institutores ante dimidium XVI. Seculi floruerunt. Quod vero ad



rem Poeticam attinet, nullo non tempore illius studiosi fuerunt Germani. Testatur hoc Tacitus verbis, quae sequuntur: „*Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoria, & annalium genus est, Thuisstonem Deum, terra editum* „; atque iterum: „*Fuisse apud eos & Herculelem memorant, primumque omnium virorum fortium iturum in praelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum velatu, quem barditum vocant, accendunt animos* „ (a). Sic idem hic auctor alibi de Arminio Cheruscorum Principe: „*Caniturque adhuc barbaras inter gentes, Graecorum annalibus ignotus* „ (b). Adjiciamus verba huc quoque facientia Eginbardi de Carolo Magno: „*barbara, inquit, & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella eanebantur, scripsit memoriaeque mandavit* „ (c).

(a) De Moribus Germanorum, mox ab initio. (b) *Annal: Lib. II.* sub finem. (c) In vita ejusdem.

## §. X.

### DE HISPANIA & PORTUGALLIA.

Si vel ad vetustissimos harum terrarum recedere lubet incolas, eandem in illis, quam in ceteris remotissimae antiquitatis nationibus, inveniemus ferocitatem, eandem Philosophiae omniumque bonarum artium ignorantiam, atque idem simul in Poësin studium. Audiamus Strabonis circa hanc rem apertissimum testimonium: „*Hispaniae, inquit, populi, praesertim ii, qui Beticam sive Turditaniam, hodie Andalusia appellatam, incolunt, memorandae vetustatis volumina habent, poemata quoque & leges versibus conscriptas a sex annorum millibus, idque ipsi ex suis annalibus referunt* „ (a). Vero quoque simillimum est, eandem illos per insequentia Secula ad Poësin conservasse propensionem, neque Vestro-Gothos, neque Mauros, quorum diversis temporibus jugis cervices pra-

præbere coacti sunt, quamvis artem illorum Poeticam forte mutaverint, neutiquam tamen omnimode eam delevisse, utpote quæ victrices nationes ambæ quam maxime Poësin excoluerunt. Hoc certe scimus, a quarto post Messiam natum Seculo, multos admodum Poëtas viguisse *Hispanos*, quorum paucos tantum, *Juvenem*, *Damasum*, *Latronomum*, *A. P. Clementem* & *Hildephonsum* commemorasse sufficiat. Hi quidem singuli, quantum mihi constat, sola latina scripserunt lingua, neque tamen hoc obstat, quominus jure Poëtis Hispanicis adnumerandi sint, nisi quis prius, quod audire gestio, demonstratum reddat, non *Cartesium Gallum*, neque *Newtonum Anglum*, neque *Leibnitium Germanum*, neque *Linnaum Svecum* appellandos Philosophos, quia nullus eorum lingua vernacula opera composuerunt sua. Redeamus autem eo, ubi de via defleximus. Quid est igitur, ut e tam longinquo res repetamus? Nonne Hispania Epicum carmen, antequam ullum se dignum foetum Philosophicum, produxit? *Araucanum*, loquor, Epopœiam ab *Alonso d' Ercilla y Cuniga* ad finem Seculi XVI constructam. Aut quis mihi e *Portugallia* verum allegare valet Philosophum, *Camouens* ætate majorem? Verum floruit hic Poëta celeberrimus *Emanuele Magno* habenas imperii regente, seu vergente Sec. XV. Poëma suum Epicum, admiratione dignum, *Lusiada*, eo tempore scripsit, quo nulla certe adhuc in Patria ejus instituta fuit Academia.

---

(a) In JAC. MIDDENDORFII *Academiæ Celeberrimæ Lib. VII*, p. 411.

§. XI.

DE SVETHIA, DANIA & NORVEGIA.

Tria hæc regna, uno nomine *Scandia* olim appellata, haud minus ac cetera, a nobis jam memorata, in



omni memoria atque maximo, antequam Philosophia in iis recepta fuit, intervallo, domicilia præbuerunt Poësi. Immo, ut verius & melius dicam, nulla unquam fuit gens, nulla natio, quæ majorem, quam nostri majores, Poëtis habuerunt honorem, quippe quos hoc nomine capitis pœna absoluerunt, atque ad regni gubernacula provexerunt. Reges assidue magnum numerum circa se habuerunt Poëtarum. Eisten Beli novem in aula sustentavit sua. Verum enimvero nec ipsi Principes regnorumque primates versus facere dedignati sunt. Horum Poëmatum mentionem facit *Jornandes*, atque vetustatem eorum maximam, quæ ad ipsam Gothorum ex Scandia descensionem respiciunt, verbis sequentibus cognoscendam præbet: „*Exinde, ait, jam velut victores ad extremam Scythiæ partem, quæ Pontico mari vicina est, properant, quemadmodum & in priscais eorum carminibus, pene Historico ritu, in commune recolitur* „ (a). Restat quoque ad huc carmen vetus, idque pugnale, ea occasione compositum, qua Gissor Hunnos, nomine Angantyr, ad pugnam provocabat (b). Asserit Nobilissimus *D:mus Lagerbring*, artem Poëticam cum Odino in Thulen nostram immigrasse, mox autem ita invaluisse, ut quicquid majoris ponderis eloqui placuit, non nisi poëticè decuerit (c). Poëma *Havamal Odino* ipsi tribui solet. Ab ipso autem hoc tempore per universa inde insequentia ignorantia Secula, honorificentissime a majoribus nostris habita est Poësis, atque ideo multis ante intervallis, quam in gremium suum Philosophiam recepit patria. Quoniam jam eo loci devenimus, ut difficile sit, de Poësi *Fennica* non loqui, lectores litteratos, notitia naturæ ejus & attributorum laudabilium, opera Viri de Musis patriis longe meritissimi (d), jam satis superque instructos, ut in memoriam redeant, modo admonere juvabit, quam longo hæc temporis intervallo Philosophiam præcucurrerit, quippe ejus jam primum

*Aurora* in Fennico orta est cœlo. Immo, *Lappones* quoque, qualicunque cognitione Philosophica nullo non tempore destitutos, tamen Apollini, altas inter nives & glacies suas, carmina ignis Poëtici plena aliquando litare, documento erit, quam in suum sermonem vertit *Spectator* Anglicus, Oda Lapponica (e). Historiam ingenii perpaucularum, quæ immemoratae supersunt, nationum Europæarum persequi nos jubet instituti ratio, svadet desiderium, vetat necessitas. Cedimus majori. Etenim quis nescit arctum, qui animæ cum re intercedit nexum? Si igitur decurtata hæc tibi videatur tractatio nostra, id curtæ, quæ nobis est, tribnas supellectili. Neque tamen propterea thesæos nostræ veritati quidquam decedere facile persuasum reddas. Nam si vel maxime concederemus, quod minime concedimus, Philosophiam Poësi apud illas, quas mittimus, nationes natu esse majorem, scias, de regula generali quum fiat exceptiuncula, generalem tamen esse haud desinere. Ad calcem igitur e vestigio properamus. Verum prius, ne de dimidio generis humani, quamvis barbaro, culpam rusticitatis, si illud silentio præterirem, commereri videar, neque enim solis eruditis civilitas præstanda, paucissima quoque subjiciemus

---

(a) *De rebus Geticis* Cap. 4. (b) *Hervarar Sagan*. C. 10. p. 174. (c) *Svea Rikes Historia* I. Del. Inledning. (d) *Videsis Dissertat. Celebr.* D:ni HENR. GABR. PORTHAN de Poësi Fennicæ. (e) *Volume the Sixth*. N:o 406.

§. XII.

DE AFRICA ET AMERICA.

*Aegyptii* sola antiquis temporibus Afrorum fuerunt natio, quæ Philosophiæ & litteris navavit operam. Hi vero, quos



de diversis Scientiis confecerunt, libros omnes fere veste induerunt Poëtica. Quemadmodum autem instrumentum opere, quod eo fabricatur, prius esse oportet, ita in aprico est, Poëlin non potuisse non etiam Aegyptios inter Philosophiam atate antecedere. *Tantus* quoque, sapientiæ Aegyptiæ conditor, Poëta fuisse traditur (a). *Æthiopes* etiam antiquis temporibus Poësi gavisi sunt, cum veteri Arabum maxime conveniente, quam *Ludolphus in Historia Æthiopica* exponit: „*Les vers, inquit, des Ethiopiens consistent en de pures rimes - -*” (b) *Carthaginenses*, qui, quamdiu civitas constitit eorum, Philosophiam nunquam non neglexerunt, Poëticam tamen eadem non affecisse injuria, instruit nos Poëseos illud Punici fragmentum, quod *Plautus Pœnilo* suo insertum sistit (c). Quod jam ad *Americanas* attinet gentes, a re Philosophica plane adhuc alienas, Poëtas illis deesse, si credideris, falleris. *D. nus Timberlake*, natione Anglus, memorias *Cheraquium* conscripsit, nationis in America barbaræ, ubi unam Odartum, quæ iis sunt, bellicarum, ingenio, energia atque imaginibus plenam, in linguam suam adducit translata (d). *Garcilasso de la Vega*, Americanus, Historiam Incarum ex iis contextit carminibus, quæ puer a matre, ipsa Incis progenitoribus fata, didicerat (e). Si vero, quæ in medium jam protulimus, argumentis, de Poëseos per totum orbem ante Philosophiam præcursione nondum sis convictus, Lector, en mihi magnus eris Pyksho! Ego nihilo tamen minus hisce subsisto, quod

*Portum contigimus, quo mihi cursus erat.*

---

(a) Vid. GOTTL. STOLLII *Introd. in Hist. Litter. Cap. V. §. V. not. 1.* (b) *Lib. IV. c. 2. n. 38.* (c) *Act. V. Sc. 1.* (d) *Extraits des meilleurs Journaux de France & d' Anglet. combinés avec le Journ. des Sçavans; Aout 1766.* (e) *Variétés Littéraires Tom. I. p. 218.*